



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXIII. Si vero ad alienas partes se transtulerit, ibique per decennium moram fecerit, & redire noluerit, poterit inter ipsum & vxorem eius diuortium celebrari, sed proles ante diuortium procreata est ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

vero B. Matthiæ iuxta regulam ecclesiasticam vigilia eate-  
nus præcedat, vt nec pro bissexto, nec quolibet alio modo  
inter se & solennitatem admittat alium diem, in qua vti-  
que vigilia, nisi eueniat in dominica die, ieiunium celebra-  
tur. Ipsum autem festum, siue fiat in præsentī die, siue in se-  
quenti, qui duo quasi pro vno reputantur, nullus error,  
sed ecclesiæ consuetudo teneatur. Quod autem mulier  
pro furto vel quolibet alio crimine a viro separetur, & alii  
nubere possit, & viro similiter eadem lege constituatur:  
taliter respondemus, quod mulier pro furto vel alio crimi-  
ne viri sui, nisi ipse eam ad maleficia sua trahere nitatur, &  
fidei suæ religionem corrumpere velit, non debet ab eo se-  
parari, nec alii aliqua ratione copulari. Verum si coniu-  
gem suam ad errorem traxerit, & ad maleficium, mulier  
a viro recedere poterit & separari, ita quod ei alii nubere  
non licebit: quia licet separentur, tamen coniuges erunt  
semper. Viris quoque præfens sententia seruetur.

## CAP. XXIII.

*Idem episcopo & archidiacono Vicentino, in duodecimo  
libro registri.*

Perlatum est ad audientiam nostram, quod \* Here-  
mam filius quondam Lazari, ad partes Constantinopoli-  
tanas transiens, ibidem moram per decennium & amplius  
fecit, & ad Viuiam filiam Eulardi vxorem suam non  
rediit. Ipsa vero apud bonæ memoriæ I. quondam Vicen-  
tinum episcopum aduersus virum suum querelam depo-  
suit: & quod eum non posset diutius expectare, nihilo mi-  
nus allegauit. Episcopus vero, sicut vir prouidus & discre-  
tus, parentibus viri mandauit, vt pro eo mitterent, &  
ipsum ad propria reuocarent. Cumque elapso longo tem-  
poris spatio, prædictus vir ad propria non remearet, epi-  
scopus in conspectu ecclesiæ auditis allegationibus mulie-  
ris, inter eos diuortii sententiam promulgauit, & mu-  
lieri, vt alium virum duceret, plenariam facultatem indul-  
sit. Quia igitur huius rei veritas nobis non constat, discre-  
tioni vestræ per A. S. mandamus, quatenus rem ipsam dili-  
genter inuestigetur, & si vobis constiterit, quod episcopus  
diuortii sententiam inter eos tulerit, filios eius quos de  
Achardi filio quondam Rad. ad cuius copulam auctoritate  
præ-

ANNO  
CHRISTI  
1179.

prædicti episcopi sine quaestione & contradictione ecclesie migravit, sustulerit, ab hereditate non patiamini excludi, sed eos legitimos iudicetis: & si quis contra hoc venire voluerit, ei auctoritate apostolica silentium penitus imponatis.

C A P. XXIV.

\* *Buigen.*

*Lucius tertius \* Nebeberen. episcopo, in registro.*

Cum causam, quæ est inter E. militem & vxorem eius, tuæ commississemus experientia terminandam, miles repetens mulierem, legitime sibi nupsisse, per probationes canonicas se constanter asseruit probaturum: femina vero proposuit, quod dominorum & parentum suorum suggestione alteri viro tradita, ab illius militis amore diuertit, qui a parentibus eam prius rapuerat, illa tamen nolente, vt dicitur, & postmodum, priusquam eam cognosceret, desponsauit. Deinde inclusa est in monasterio monialium, vbi & detinetur. Vnde quoniam super his prudentia tua sedem duxit apostolicam consulendam, significatione præsentium tibi respondemus, quod cum ibi raptus dicatur admitti, vbi nihil de nuptiis ante agitur; iste raptor dici non debet, cum habuerit consensum mulieris: & prius desponsauerit eam, quam cognouerit, licet parentes forsitan reclamarent. Præterea cum post matrimonium carnis permixtione perfectum, teste Apostolo, *uxor sui corporis potestatem non habet, sed maritus, & e conuerso: si præcessisse matrimonium, vel ex probationibus viri canonicis, vel ex mulieris confessione claruerit, postmodum sine assensu viri non potuit femina monasterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri. Non ergo pro eo quod de monasterio post matrimonium consummatum per virum rapta fuerit, eius poterit consortium declinare, dummodo probari nequeat, virum, vt mulier profiteretur continentiam, assensisse.*

C A P. XXV. *Idem Parisiensi episcopo.*

Intelleximus ex literis tuis, quod M. latrrix præsentium, diabolico furore accensa, quamdam filiam suam multoties animo perimendi aggressa, tandem suggerente eo, qui fidelium perditione lætatur, lethali vulnere iugu-

*Concil. Tom. 27.*

Aaaaa